



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

Carolvs Borromævs Miseratione Divina S.R.E. Tit. S. Praxedis Presbyter  
Cardinalis Archiepiscopus Mediolani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

CAROLVS BORROMÆVS  
MISERATIONE DIVINA

S. R. E. TIT. S. PRAEDEXIS  
PRESBYTER CARDINALIS  
Archiepiscopus Mediolani.

Prouinciæ nostræ fidelibus salutem in Domino.



**Q**UANTVM mihi onus imponeret Archiepiscopalis officij ratio, cogendi Prouincialem Synodum, quo die ex grauiſſimo iuſſu ſancti Tridentini Concilij recognoui, maturè ut id munus exequi poſſem, vehementer elaborauì. Quod & noſtra teſtantur literæ, quibus prouinciæ Episcopos euocauimus; & ſciunt graues atque ornatì viri, qui noſtris ea in re ſtudijs & actionibus interſuerunt. Itaque cum primùm mihi licuit, Mediolanum veni, quò prouinciæ Episcopis conuocatis, cognitiſq; ab eiſdem ijs rebus, quæ in ſingulis Ciuitatibus, ac Diœceſibus correptionis, aut moderationis indigerent, in Synodo de ipſorum Episcoporum conſilio, atque conſenſu ea ſtatuiſſimus ac decreuiſſimus, quæ perturbatam Cleri, ac reliquorum vitæ, & officij diſciplinam reſtituere, vacillantem confirmare, conſeruatam propagare poſſe viderentur. Synodo dimiſſa, cum à Pio III. Pontifice Maximo Romam reuocarer, ne in ipſo quidem itinere mihi quidquam maiori curæ fuit, quàm vt ea decreta, prouinciæ, vt ſpero ſalutaria, primo quoque tempore promulgarem. Quam in cogitationem toto animo incumbentem, me & ipſius Pij Pontificis auunculi mei mox conſecuta mors, & deinceps interregni, & Pontificiorum comitiſſorum occupatio, non iam à ſtudio illa in lucem proferendi (quod, & ſi grauioribus curis maximè diſtinebar, tamen dimittere non poteram;) ſed ab eorum editione retardauit. Sed benè, quòd quemadmodum Deum aſſidue precatus ſum, & vt ita fieret, pro mea parte contendì, breui ipſius Dei benignitate ſingulari, Pius V. Pontifex Max. eſt renunciatus: qui pro ſumma ſua cura ac ſolicitudine religionis; ſalutisq; animarum,

marum, mihi & facile concessit, vt reuiferem hoc tempore commissum fidei  
meæ gregem, & inflammatum studium meum edendi has constitutiones Pro-  
uinciae nostrae fidelibus pia sanè cohortatione magis etiam incendit; & vt ea  
ad illos etiam pertinerent, qui alioqui ipsis non tenerentur, literis suis Apo-  
stolicam interposuit auctoritatem. Damus igitur vobis, quæ ex præcepto Tri-  
dentini Concilij ad moderandos mores, corrigendos excessus in prouinciali Sy-  
nodo decreta sunt; eaq; non solum presentium malorum remedia esse confidi-  
mus, sed cautionem quoque fore speramus reliqui temporis vitiorum, & incom-  
modorum. Rogamus verd omnes, & per viscera misericordiae Christi Domi-  
ni obsecramus, vt has constitutiones, quanto maximo potestis amore, & piete-  
te amplectamini, legatis, sequamini, totos vos ad earum sententiam rationem-  
que accomodetis: immò verd, si quod nostrum esse potest, habito, & vbi pri-  
mùm facultas fuit, edito hoc prouinciali Concilio, meritum, id mihi, & pijs  
ipsis, ac prudentibus Patribus, quibus consentientibus, & adiuuantibus hæc  
acta sunt, præripite. tantò enim maior commendatio est eorum qui colunt,  
quàm qui tulerunt leges; quantò est obedientia officij præceptione præstantior.  
Cæteris verd etiam hominibus, vestra vel morum mutatione, vel innocentia,  
ac pietatis perseverantia præluceat; vt isto exemplo ad virtutis, & officij cul-  
tum reliquæ etiam Prouincia incitentur. Nobis exim, vt in his decretis nihil  
propositum fuit, nisi Dei gloria, & vestra salus; sic nihil optatius esse potest,  
quàm vt ita decreta seruentur, vt pœnis, quæ delinquentibus propositæ sunt,  
nullus locus relinquatur; magisq; in agendo vestra religio, ac probitas, qua vnæ  
maxima voluptate noster compensabitur labor, quàm nostra in decernendo di-  
ligentia commendetur. Valete in Domino.

